

14.2 [1] Quo primum tempore a praetoribus lectus in iudices sum ut iudicia quae appellantur privata suscipere<sup>1</sup>, libros utriusque linguae de officio iudicis scriptos conquisivi ut homo adulescens, a poetarum fabulis et a rhetorum epilogis ad iudicandas lites vocatus, rem iudicariam, quoniam vocis ut dicitur vivae<sup>2</sup> penuria erat, ex mutis quod aiunt magistris<sup>3</sup> cognoscerem. Atque in dierum quidem diffissionibus conperendinationibusque et aliis quibusdam legitimis ritibus ex ipsa lege Iulia<sup>4</sup> et ex Sabini Masurii<sup>5</sup> et quorundam aliorum iurisperorum<sup>6</sup> commentariis commoniti et adminiculati sumus.

1

4.4 [1] Sponsalia in ea parte Italiae quae Latium appellatur hoc more atque iure solita fieri scripsit Servius Sulpicius in libro quem scripsit *de dotibus*: [2] « Qui uxorem – inquit – ducturus erat, ab eo unde ducenda erat stipulabatur eam in matrimonium datum iri<sup>1</sup>; qui ducturus erat, itidem spondebat. Is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur ‘sponsalia’. Tunc quae promissa erat ‘sponsa’ appellabatur, qui spondebat ducturum ‘sponsus’. Sed si post eas stipulationis uxor non dabatur aut non ducebatur, qui stipulabatur ex sponsu agebat. Iudices cognoscebant. Iudex quamobrem data acceptave non esset uxor quaerebat. Si nihil iustae causae videbatur, litem pecunia aestimabat, quantique interfuerat eam uxorem accipi aut dari, eum qui sponderat, (ei) qui stipulatus erat, condemnat<sup>2</sup>».

2

[3] Hoc ius sponsaliorum observatum dicit Servius ad id tempus quo civitas universo Latio lege Iulia data est<sup>3</sup>. [4] Haec eadem Neratius scripsit in libro quem *de nuptiis* composuit<sup>4</sup>.

17.7 [1] Legis veteris Atinae verba sunt: «Quod subruptum erit, eius rei aeterna auctoritas esto»<sup>1</sup>. [2] Quis aliud putet in hisce verbis quam de tempore tantum futuro legem loqui? [3] Sed Q. Scaevola patrem suum<sup>2</sup> et Brutum<sup>3</sup> et Manilium<sup>4</sup>, viros adprime doctos, quaesisse ait dubitasseque utrumne in post facta modo furta lex valeret an etiam in ante facta; quoniam «subruptum erit» utrumque tempus videretur ostendere, tam praeteritum quam futurum<sup>5</sup>.

3

Gell. 4,9,8

Masurius Sabinus 'religiosum', inquit, est quod propter sanctitatem aliquam remotum ac sepositum a nobis est, verbum a relinquendo dictum, tanquam caerimoniae a carendo.

} (4)

Macrob. 3,3,8

Servius Sulpicius religionem esse dictam tradidit, quae propter sanctitatem aliquam remota ac seposita a nobis sit, quasi a relinquendo dicta, ut a carendo caerimonia.

Gell. Noct. Att. 11,18,21:  
*Item [Sabinus, l. 2 iuris  
civilis] alio capite: Qui  
alienum iacens lucri facien-  
di causa sustulit, furti  
obstringitur, siue scit,  
cuius sit, siue nescit.*

D. 47,2,43,4 (Ulp. 41  
*ad Sab.): Qui alienum  
quid iacens lucri fa-  
ciendi causa sustulit,  
furti obstringitur, si-  
ue scit cuius sit siue  
ignorauit.*

(5)

Gell. Noct. Att. 4,2,9-10: *De sterila autem muliere, si natiua sterilitate sit, Trebatium contra Labeonem respondisse dicunt. nam cum redhiberi eam Labeo quasi minus sanam putasset, negasse aiunt Trebatium ex edicto agi posse, si ea mulier a principio genitili sterilitate esset. at si valetudo eius offendisset exque ea uitium factum esset, ut concipere fetus non posset, tum sanam non uideri et esse in causa redhibitionis.*

} (6)

D. 21,1,14,3 (Ulp. 1 ad ed. aed. cur.): *De sterili Caelius distinguere Trebatium dicit, ut, si natura sterilis sit, sana sit, si uitio corporis, contra.*